



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiariam, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Altenhochenav.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13578

- preempto are absoluit: sed & nonnullos census qui scribarum Laicorum incuria neglecti per multos annos erant & ex libris censualibus prorsus eliminati, diligenti registrorum collatione in Monasterij usus reduxit: facta quoque antiqua tecta restituit & aliqua de nouo necessaria erexit: anno 1529. nouum dormitorium perfecit. Hic ipse Abbas diemq; extremum clausit 11. Octobr. an. 1544.
- XXXIV. IOANNES Zanckler presuit an. circiter 8. è viuis sublatu 7. Iunij, an. 1552.
- XXXV. BARTHOLOMÆVS Madarver, elig. 11. Iulij, an. 1552. cum presuisset an. 27. moritur die 25. Aug. An. 1579.
- XXXVI. ANDREAS Haydecker ex Monasterio Keyserheim postulat us an. 1579. an. septem & quod excurrit pralaturam gessit, resignauit die 25. Octobr. an. 1586.
- XXXVII. IOANNES DIETMAIRVS ex Monasterio Fürstenfeld ad Pralaturam Alderspacensem à prædecessore resignatam electus die 25. Octob. an. 1586. SS Theolog. D. magnorum Theologorum iudicio & in heis admod. Reuerendi & Magnifici Dn. Alberti Hungeri Procancellarij Academiæ Ingolstadien. nec non Reuerendi admod. P. Gregorij de Valentia Soc. IESV de religione Catholica optimè promeriti, fel. recordat. Vir nulli sui cui & ordinis quâ quâ doctrina secundus, Abbatiam præter, Visitatoris quoq; sui ordinis muneri sibi demando uti liter, magnaq; cum laude gessit an. prope quinque. vltra viginti pie defunctus die 22. Ianuarij An. 1612. duranti bus, quibus patriæ bono intererat Monachij Prouincialibus Comitibus.
- XXXVIII. MICHAEL Abbas modernus. Cui ob spectatam hætenus in Deum pietatē, ac de suo ordine subditū, adeoq; omnibus benè promerendi indefessum studiū, boni omnes fauens NVMEN exorant.

ALTENHOCHENAV.

HOC Cœnobium sacrarum Virginum ordinis D. Dominici, fundauit Conradus Com. Wasserburgen. vnâ cum Kunegunda coniuge, qui Hofmarchiam Altenhohenau à Monasterio Rott, permutando cum Moshaim, acceperant, &c. tradentes eandem Hofmarchiam, cum omnibus suis pertinentiis Monasterio dicto, Anno 1235. Confirmauit hanc fundationem Gregorius Pontifex Max. & Fridericus Romanorum Imperator,

Hæc priuilegia denuò confirmauit Stephanus, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariæ, Anno 1400. postridie S. Vlrici.

ADDITIONES.

A. **I**N nomine Sacrosanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Chunradus Dei gratia Comes in Wasserburg, omnibus in perpetuum, Amen. Cum vtique quilibet mortalium ad promerendam vitam æternam bonis studere debeat operibus, & de peccatis suis abolendis gratum Deo, ac animæ suæ salubre facere remedium; nos ea propter diuino amore accensi, nouellam plantationem fororum ordinis S. Sixti, consilio Prædicatorum, & aliorum prudentium virorum, in veteri Hocheuauv inchoauimus. Et quia eandem Curiam, & Curiam quæ Moshaim vocatur, cū suis appendiciis Ecclesiæ Rotensin testamento dederamus, alteram post mortem, videlicet Moshaim: alteram post mortem nostram & vxoris nostræ, scilicet Hocheuauv; jam dictas Curias à prædicta Ecclesia, mediante eiusdem Ecclesiæ Domino Henrico Abbate, datis aliis possessionibus nostris per cōmutationem, aboluimus. In remissionem igitur omnium peccatorum nostrorum, & vxoris nostræ Chunegundæ, de plena voluntate ipsius, prædictas Curias, cum agris, pratis, pascuis, syluis, & omnibus aliis appendiciis suis, cultis & incultis, liberè, & sine omni iure aduocatiæ, & qualibet vexatione contradimus volentes, ne prædicta donatio propter superuenientem filiorum natiuitatē, vel propter enormitatem donationis possit infirmari. Et ne aliquid possit in posterū prædictæ donationi opponi, vel dubitari de illa; ipsam auctoritate præsentium, & muni-

munimine sigillorum, nostri, nec non ipsius Abbatis, & Conuentus fecimus roborari. Testes autem sunt hi, Henricus Abbas de Roth, Hartvvicus Monachus, Poppo plebanus de Mundrichingē, Henricus Plebanus de Emmeringen, Rapoto frater eius, Dietmarus Diaconus, Carolus de Selhuben, Menigoltus Pincerna de Roth, Henricus Buggilingarius, & H. filius suus, Pertoldus Buorarius, & alij quamplures. Acta sunt hæc anno incarnationis Domini MCCXXXV. 3. Non. Febr. Datum apud Wasserburg.

Gregorius Episcopus seruus seruatorum Dei. Dilectis in Christo filiabus Priorissæ Monasterij S. Petri in *Altenhochenawu*, eiusq; sororibus, tam præsentibus, quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum conuenit adesse præsidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursum aut eas à proposito reuocet, aut robur, quod absit, sacrae religionis eneruet. Ea propter dilectæ in Domino filia, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, & Monasterium S. Petri in *Altenhochenawu*, Salisburgen. Diocesis, in quo diuino estis mancipio mancipate, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidē statuentes, ut ordo Canonicus, qui secundum Deum & B. Augustini regulam, atq; institutionem Fratrum Predicatorum in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inuolabiliter obseruetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunq; bona idem Monasterium in præsentiarum iustè & Canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, & eis quæ vobis successerint, & illibata permaneant. Adhuc nouas & indebitas exactiones ab Archiepiscopis & Episcopis, Archidiaconis seu Decanis, aliisque omnibus Ecclesiasticis, Secularibusue personis à vobis omninò fieri prohibemus. Decimas præterea & possessiones ad jus Ecclesiarum vestrarum spectantes, quæ à Laicis detinentur, redimendi & legitime liberandi de manibus eorum, & ad Ecclesias ad quas pertinent reuocandi, libera sit vobis de nostra auctoritate facultas. Præterea omnes libertates & immunitates, à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Monasterio vestro concessas, nec non libertates & exemptiones sæcularium exactionum à Regibus & Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti Priuilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli omninò hominum liceat præfatum monasterium temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integrè conferuentur earum, pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura. Salua sedis Apostolicæ auctoritate, & Diæcesanorum Episcoporum Canonica iustitia, & in prædictis decimis moderatione Concilij generalis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica sæculariue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentauerit, secundo tertioque communita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se diuino iudicio existere, de perpetrata iniquitate cognoscat: & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei ac Dñi Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atq; in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi; quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant, Amen. Datum *Lugduni* per manum Magistri Lanfranci Archidiaconi Pergamen. S. R. Ecclesie Vicecancellarii. X. Cal. April. Indiēt III. Incarnationis Dominicæ anno 1274. Pontificatus verò Dñi. Gregorij Papæ X. anno tertio.

FRIDERICVS Deigratia Rom. Imperator semper Augustus, Hierusalem & Siciliae Rex, Vniuersis per Romanum Imperium constitutis gratiam suam & omne bonum. Praesenti scripto notum fieri volumus vniuersis Imperij fidelibus tam praesentibus quam futuris, quod nobis feliciter transeuntibus per Bauariam, Priorissam & Conuentum in veteri *Hohenorwe*, Salceburgensis Diocesis nostrae celsitudini supplicarunt, quatenus Monasterium, ipsas, & bona earum, quae in praesenti possident, & in antea iusto titulo poterunt adipisci, sub nostra & Imperij protectione recipere dignaremur. Nos igitur piis earum precibus fauorabiliter annuentes, illius intuitu, cui sacra Coenobia sunt dicata, apud quem faminei sexus deuotio locum non infimum promeretur, praedictum Monasterium, Priorissam pariter & Conuentum, familiam, & omnia bona earum sub nostra & Imperij protectione recipimus speciali: Vniuersis huius scripti auctoritate mandantes, quatenus nullus sit, qui praedictum Monasterium, Priorissam & Conuentum, eiusdem familiam & bona earum audeat contra praesentem confirmationis nostrae paginam inquietare, vel temere perturbare. Quod qui praesumpserit, indignatione nostri culminis se nouerit incursum. Ad huius itaque protectionis nostrae memoriam & robur perpetuo valiturum, praesens scriptum sibi fieri fecimus, & sigillo Maiestatis nostrae iussimus communiri. Datum apud *Ratisponam*, Anno Dominicae incarnationis M. C. C. XXXV, Mense Iunij. V III. Indictione.

CATALOGVS PRIORISSARVM MONASTERIJ Altenhohenavv.

BENEDICTA.

MÆCHTHILDIS *vix. an. 1354.*

CATHARINA.

GERTRVDIS *Geroltbin, an. 1372.*

ADELHaidis, *an. 1381.*

EHRENTHRVDIS, *an. 1395.*

ANNA *Krayburgerin.*

CATHARINA *Troscherin, an. 1408.*

ELISABETHA *Volckvveinin an. 1421.*

WANDELBURG *Savverin.*

WANDELBURG *Ederin, an. 1456.*

APPOLONIA *im Hof.*

MARGARETHA *KienZelmannin an. 1483.*

BARBARA *Schuolerin.*

ANNA *Zinnerin.*

CLARA *Rueshamerin an. 1518.*

CATERINA *Frauvnhoferin, an. 1521.*

HILDEGARDIS *von Dienriedl, an. 1524.*

MARGARETHA *Füxin, an. 1540.*

ANNA HVNDIN, *an. 1553.*

APHRA *Stadlerin, an. 1560.*

ELISABETHA *Stettnerin, an. 1566.*

ANNA *Degenhartin, an. 1916.*

ALTO-